



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De eadem re. cxlv.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

D. BURCHARDI EPIS. VVORMAC.

huiusmodi officia commissa sunt, nec cum eius voluntate agere consilio, anathema sit.

De eadem re. CXLV.

Ex eodem cap. 8. **S**I quis dederit vel acceperit oblata præter episcopum vel eum qui constitutus est ab eo ad dispensandam misericordiam pauperibus, & qui dat & qui accipit, anathema sit.

Vt omnes Ecclesie vel decime in episcoporum potestate consistant. Cap. CXLVI.

Ex conc. Cabillon. cap. 1. **I**N sancto Cabillonensi concilio decretum est, vt omnes Ecclesie cum dotibus suis & decimis, & omnibus rebus suis, in episcopi proprii potestate consistant, atque ad ordinationem vel dispositionem suam semper pertineant.

Quod tricennalis possessio firma sit. Cap. CXLVII.

Ex conc. Tolet. 5. cap. 35. **S**icut diocesim alienam tricennalis possessio tollit territorij conuentum non admittit. Ideoque basilicæ quæ nouæ conditæ fuerint, ad eum proculdubio episcopi pertinebunt, cuius conuentus esse constiterit.

Vt singularum Ecclesiarum rusticanæ parochiæ semper maneant inconcussæ. Cap. CXLVIII.

Ex conc. Chalcedo. cap. 17. **S**ingularum Ecclesiarum rusticas parochias vel possessiones manere inconcussas illis episcopis qui eas retinere noscuntur, & maximè si per tricennium eas retinere vi obtinentes, sub dispensatione reuerentur. Quod intra tricennium facta fuerit de his altercatio, licet episcopi qui se laicos asserunt, apud sanctam synodum pronuntiant de his mouere certamen decreuimus.

Quod tricennalis possessio, si intacta permansit, mutari non debeat. Cap. CXLIX.

Ex epist. Gelasii. papa. cap. 11. **I**llud etiam adnecti placuit, vt si, quod absit, facultates Ecclesie, nec non & dioceses ab aliis quibuslibet possidentur episcopis, iure sibi vendicent quod tricennalis lex conclusit, quia & ultra XXX. annos nulli liceat per episcopum appellare, quod legum tempus excludit.

Item de rebus per XXX. annos possessis. Cap. CL.

Ex conc. Matisic. cap. 7. **V**T de rebus Ecclesiarum quæ ab eis per XXX. annorum spatium sine vlla interpellatione possessæ sunt